

## MANTISSA

AD

PHILOLOGIÆ SACRÆ  
LIBROS.

**E**DIDIT ante quadriennium BARTHOLDUS NIHUSIUS Apostata libellum, *Hypodigma* vocatum, quo diluuntur nonnulla (ita inscriptio habet) contra Catholicos disputata in Cornelii Martini tractatu de analysi Logica; Impertitum ejus libelli commendatoribus, Georgio Calixto, Conrado Hornejo, ceterisque.

Epist. 7.4. Libellus iste scommatum, fannarum scurrilium, εὐτραπέλιος, τῶν μὴ ἀνηκόντων, quibus non viros solum optime & de Ecclesia, & de ipsomet meritos, sed & personas illustres, principesque laude & honore dignos, mordaci stylo impetit & infestat, adeo plenus est, ut vix dignus videri possit viri honesti responso. Dignus autem autor quam maxime sit miseratione, quod orbi Christiano & erudito mentis suæ morbum tam in propatulo exponere non fuit veritus: quin & apprime indigus admonitionis piæ, si diutius eum vivere contingat, in posterum ut ab hoc cacoethe pessimo abstineat, & se gerat modestius, ne divina eum tandem comprehendat prematque nemesis, secundum Servatoris effatum, Matth. XII, 35. 36. 37.

Cæterum cum nec mihi mexque famæ percerit, atque labem ei adspargere qualem eunque, insuper & loca quædam, in Philologico hoc opere occurrentia, tangere & refellere voluerit, non potui non, oblata hac occasione, responsum ipsi breve & modestum reponere.

I. De duobus locis in Grammatica  
sacra.

locus  
Joh. 11. si  
olo eum  
manere  
cc.  
In Grammat. sacræ libro priorè, tract. 7. de conjunct. conditionali, can. 6. pag. 1103. declaratus est locus Joh. XXI, 22. 23. Si volo eum

manere, donec veniam, quid ad te? demonstratumque contra GORDONUM HUNTLÆUM Jesuitam, male & mendose vulgatam versionem Latinam pro *si*, legere *sic*. Hic NIHUSIUS, hypodig. sui sect. 38. magnum quid pro Pontificia religione, ad quam descivit, præstitisse ratus, hanc de sphalmate illo quæstionem denuo movit, & pro palliando eo (GORDONO, inter alia, adversus meas assertiones, suppetias ferens) mire se torfit. Succincte dicendo, ad duo reduci omnia queunt. Prius voculam *εἰ*, *si*, spectat; Posterius verbum *ἔρχομαι*, *venio*.

De conditionali, *εἰ*, *si*, inquit, esse quandoque, testibus Grammaticis, assertivam simul, ut in illo: *si me amas, invise me quanto cyus*: quod idem est, ac, *si me amas, sicuti facis absque dubio* &c. ita hic in Joanne: *si volo eum manere* (scil. uti hoc ipsum volo) *donec veniam, quid ad te?* atque hanc assertivam, conditionali innexam, vulgatum Interpretem expressisse clarius vocula *sic*. Respond. 1. Respiciendus est scopus, quem intendi. GORDONUS Jesuita τὸ *εἰ*, *si*, directe hoc loco idem notare scripsit, ac, *vere, utique, certe*, (quod Latinum interpretem per *sic* exprimere voluisse, ait,) exemplis etiam quibusdam, similibus sibi visis, ex V. T. adductis. Negavi hoc, ratione cum ceterorum, tum hujus ipsius loci, & in contrarium notabilia quædam attuli. Hac igitur incedere orbita NIHUSIUM decuisset. Verum libuit ei rem alia aggredi via, & Grammaticorum illud, de particulæ *si* diverso usu, assertum, incrustando errori obducere. 2. Quicquid autem sit, in propositione dicta: *si me amas* &c. non expirat, ob subintellectam affirmationem, conditionalis particulæ vis, ut nec in illa: *si sol ortus est* (subintellige, ut jam ortus est) *dies est*. *Si Christus est Mediator noster* (subintellige, uti certe est,) *est*